




Conventiculum Felicianum XVII
in Hospitali a Carmelo nuncupato
ad Benacum in sinu Felici
ab a.d. XVII ad a.d. XV Kal. Novembres
fruendum

TEXTVS LEGENDI

Index textuum adhibitorum

1. M. TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI TRES	1
2. SANCTI GREGORII MAGNI DIALOGORVM LIBRI QVATTOR	3
3. NATHAN COVINGTON BROOKS: VITAE VIRORVM ILLVSTRIVM AMERICAЕ.....	4
4. TITI LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA LIBER XL	7
5. Galfredi Monvmētensis Historia Britonvm.....	9
6. Erasmi Ecclesiastae sive de ratione concionandi libri IV	11
7. C. Plinii Caecilii Secvndi Epistolarvm libri X.....	13
8. Venerabilis Baedae Historia ecclesiastica gentis Anglorvm.....	15
9. Thomae Vallavrii Epitome Historiae Graecae.....	17
10. L. Annaei Flori Epitome de Tito Livio.....	19
11. Gesta Romanorvm	20
12. Cornelii Nepotis Excellentivm Imperatorvm vitae	22

1. M. TVLLII CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI TRES




Ut librum in sede retiali volvas, hanc imaginem mure computatrali explica.

DE M. ATILIO REGVLO

III, xxvi, 99 - 108 - [...] M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad senatum, ut nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit; quae erat talis: manere in patria, esse domui suae cum uxore, cum liberis, quam calamitatem accepisset in bello communem fortunae bellicae iudicantem tenere consularis dignitatis gradum. Quis haec negat esse utilia? quem censes? Magnitudo animi et fortitudo negat. [100] (...) Itaque quid fecit? In senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret, recusavit; †quamdiu iure iurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam, ("O stultum hominem," dixerit quispiam, "et repugnantem utilitati suae!"), reddi captivos negavit esse utile; illos enim adulescentes esse et bonos duces, se iam confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit, neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed ius iurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando¹ necabatur, erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, periurus consularis remansisset. (...) [102] Quid est igitur, dixerit quis, in iure iurando? num iratum timemus Iovem? (...) Quid autem iratus Iuppiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quae tantam

utilitatem perverteret. (...) [104] Non fuit Iuppiter metuendus ne iratus noceret, qui neque irasci solet nec nocere. Haec quidem ratio non magis contra Reguli, quam contra omne ius iurandum valet. Sed in iure iurando non qui metus, sed quae vis sit, debet intellegi. Est enim ius iurandum affirmatio religiosa; quod autem affirmate, quasi deo teste promiseris, id tenendum est. Iam enim non ad iram deorum, quae nulla est, sed ad iustitiam et ad fidem pertinet. Nam praeclare Ennius: "O Fides alma apta pinnis et ius iurandum Iovis." Qui ius igitur iurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iovis optimi maximi, ut in Catonis oratione est, maiores nostri esse voluerunt. (...) [107] Est autem ius etiam bellicum fidesque iuris iurandi saepe cum hoste servanda. Quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est; quod aliter, id si non fecerit, nullum est periurium. Ut, si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium; cum hoc nec fides debet nec ius iurandum esse commune.[108] Non enim falsum iurare periurare est, sed quod ex animi tui sententia iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere periurium est. Scite enim Euripides: "Iuravi lingua, mentem iniuratam gero". Regulus vero non debuit condiciones pactionesque bellicas et hostiles perturbare periurio. Cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur, adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia. Quod ni ita esset, numquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset.

2. SANCTI GREGORII MAGNI DIALOGORVM LIBRI QVATTOR




Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

DE HORTVLANO MONACHO

[I, 3] - In eodem monasterio quidam magnae vitae monachus erat hortulanus. Fur vero venire consueverat, per sepem ascendere, et occulte olera auferre. Cumque ille multa plantaret, quae minus inveniret, et alia pedibus conculcata, alia directa conspiceret; totum hortum circumiens, invenit iter unde fur venire consueverat. Qui in eodem horto deambulans, reperit etiam serpentem, cui praecipiens dixit: Sequere me: atque ad aditum furis perveniens, imperavit serpenti, dicens: In nomine Jesu praecipio tibi ut aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas. Protinus serpens totum se in itinere in transversum tetendit, et ad cellam monachus rediit. Cumque meridiano tempore cuncti fratres quiescerent, more solito fur advenit, ascendit sepe; et cum in hortum pedem deponeret, vidit subito quia tensus serpens clausisset viam; et tremefactus post semetipsum concidit, ejusque pes per calceamentum in sude sepi inhaesit, sicque usque dum hortulanus rediret, deorsum capite pependit. Consueta hora venit hortulanus, pendentem in sepe furem reperit, serpenti autem dixit: Gratias Deo, implesti quod jussi; recede modo. Qui statim abscessit. Ad furem vero perveniens, ait: Quid est, frater? Tradidit te mihi Deus. Quare in labore monachorum furtum toties facere praesumpsisti? Et haec dicens, pedem illius a sepe in qua inhaeserat, solvit, eumque sine laesione deposuit. Cui dixit: Sequere me. Quem sequentem duxit ad horti aditum, et olera quae furto appetebat auferre, ei cum magna dulcedine praebuit, dicens: Vade, et post haec furtum non facias; sed cum necesse habes, huc ad me ingredi, et quae tu cum peccato laboras tollere, ego tibi devotus dabo.

3. NATHAN COVINGTON BROOKS: VITAE VIRORVM ILLVSTRIVM AMERICAЕ, A COLUMBO AD JACKSONVM



Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

CHRISTOPHORVS COLUMBVS


[pp. 11-13] - Christophorus Columbus, Genuae natus, a parentibus obscuris sed honestis originem duxit. In studiis rerum nauticarum, quibus se totum dederat, iuventam suam exegit. Adhuc puer prima stipendia fecit bello, quod, de recuperando regno paterno, Ioannes, dux Calabriae, contra Neapolim gessit. Praelio navali contra Venetos eius navi accensa, saltu in mare se demisit, et in terram incolumis evasit.

II. Postea praefectus navis factus est et, multis itineribus navalibus exactis, cum patre tunc senescente et fratribus iunioribus Olisponem migravit. Domicilio ibi comparato, filiam Perestrellonis in matrimonium duxit et, chartis itinerariisque descriptis, familiam suam, patremque, fratresque aluit.

III. Interim animus sagax Columbi regiones novas ad occidentem iacentes concepit, quapropter, opes ad iter investigationis petens, ad aulas patrias et externas se contulit. Tandem, post annos multos, Ferdinandus et Isabella Castiliae et Arragoniae reges, aures suas proposito eius prae-buerunt. Sed exhausto aerario regio in bello contra Mauros, pecunia ad expeditionem defuit. In his angustiis⁵, regina Isabella, imperium proferendi cupida, lucemque doctrinae Christianae diffundendi studiosa, gemmis depositis, sumptus comparare voluit; sed Santangelus, aularius regius, propositum suum recusavit, opesque necessarias suppeditavit.

IV. Paulo post Columbus, classe navicularum trium, cum centum et viginti comitibus expeditionem proseguens, ventis et fluctibus maris Atlantici se commisit. Nautae pavidi, navigationis inexpertes, atque pericula maris vasti et irremeabilis perhorrescentes, duos post menses redire exoraverunt; sed Columbus, signa terrae vicinae observans, precibus illorum auscultare noluit.

V. Nox erat, et preces post solitas, Columbus pegae¹ insidebat, in mare prospiciens, dum navis vento leni ferebatur, quum subito funalia incerta visa sunt, et confestim clamor "Terra! Terra!" ex navi praefecti auditus est. Mane insula ferax et formosa in conspectu fuit. Columbus primus arenae insiluit et, comitatus suis nautis in armis, signis praelatis, crucem erexit, novoque orbi, in nomine regum suorum, potitus est. Insulae multae fuerunt vicinae, quas Columbus adiit. Putans eas partem regionum Indiae vastarum, Indicas Occidentales illas appellavit.



"Pega" (Lusitanice) = "testa di moro" (Italice).

VI. Post reditum in Hispaniam multitudine magna equitum, nobilium et civium Barcelonae receptus et triumpho superbo in urbem deductus est. Primo procedebant Indi sex, picti et decorati gemmis ac auro. Deinde sequebantur classis nauta, alii avibus animalibusque specierum inusitatarum, alii plantis fructibusque tropicis onusti. Tum ferebantur cristarum coronae, armillae, aurum, gemmaeque pretiosae, opes regionum novarum. Postremo venerunt in equis aularii, splendide vestiti, inter quos fuit Columbus, vir venerabilis annis ac moribus, qui dignitate regia plausus millium mirantium et salutantium recepit.

VII. Aulaeo sub aureo sedentes, cum apparatu maximo, atque primis nobilium suorum stipati, Ferdinandus et Isabella assurrexerunt Columbo adventanti, obsequium adhibentem et ad genua


¹ "Pega": vocabolo portoghese per indicare quel che in genovese si dice "testa de mou" (testa di moro), cioè «Grosso pezzo di legname robusto, simile ad un tamburo ellittico e molto basso, cerchiato di ferro, con due fori ad incastro, uno quadrato e l'altro tondo, per collegare un albero inferiore col superiore» (F. Corazzini, *Vocabolario nautico italiano*, Bologna 1907, VII, pp. 63-64).

procumbentem sustulerunt, eumque suo lateri assidere iusserunt. Tum Columbus, memoratis casibus marinis, praemia et tropaea itineris exposuit, verecundiaque magna regibus suis tradidit; atque inter gratias laudesque latas resedit.

VIII. Brevi, classe maiore et melius instructa, Columbus iterum cursum ad occidentem direxit, distinctus titulis et officiis vice-regentis ac praefecti regionum omnium, quas in itinere inveniret. Sed factio famae eius invidiosa fuit, et propter insidias in aula Ferdinandi, inventor magnus, qui Castiliae et Arragoniae orbem novum dederat, vinctus catenis, remittitur ad Hispaniam, ubi delationum omnium absolvitur.

IX. Restitutus in honores suos, Columbus iterum ad Americam navigavit; sed suspicione receptus, contumeliaque habitus, levationem iniuriarum a regibus suis petivit. At Isabella benevola ad coelum iverat, et navigator longaevus, Ferdinandi morarum, stropharum, promissorumque falsorum pertaesus, in sepulcro molestiarum finem obtinuit; atque ad aulam caeli, arbitriumque iudicis terrae omnis causam suam transtulit, pariter decus et opprobrium Hispaniae.

4. TITI LIVII PATAVINI HISTORIARVM AB VRBE CONDITA LIBER XL




Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

DE THEOXENA HERODICI PRINCIPIS FILIA

IV-X - (Philippus Macedoniae rex) Herodicum principem Thessalorum multis ante annis occiderat; generos quoque eius postea interfecit. in uiduitate relictæ filiae singulos filios paruos habentes. Theoxena et Archo nomina iis erant mulieribus. Theoxena multis petentibus aspernata nuptias est: Archo Poridi cuidam, longe principi gentis Aenianum, nupsit et apud eum plures enixa partus, paruis admodum relictis omnibus, decessit. Theoxena, ut in suis manibus liberi sororis educarentur, Poridi nupsit; et tamquam omnes ipsa enixa foret, suum sororisque filios in eadem habebat cura. postquam regis edictum de comprehendendis liberis eorum, qui interfecti essent, accepit, ludibrio futuros non regis modo sed custodum etiam libidini rata ad rem atrocem animum adiecit ausaque est dicere se sua manu potius omnes interfecturam quam in potestatem Philippi uenirent. Poris abominatus mentionem tam foedi facinoris Athenas deportaturum eos ad fidos hospites dixit, comitemque ipsum fugae futurum esse. proficiscuntur ab Thessalonica Aeneam ad statum sacrificium, quod Aeneae conditori cum magna caerimonia quotannis faciunt. ibi die per sollemnes epulas consumpto nauem praeparatam a Poride sopitis omnibus de tertia uigilia conscendunt tamquam redituri [in] Thessalonicam: sed traicere in Euboeam erat propositum. ceterum in aduersum uentum nequiquam eos tendentes prope terram lux oppressit, et regii, qui praeerant custodiae portus, lembum armatum ad retrahendam

eam nauem miserunt cum graui edicto, ne reuerterentur sine ea. cum iam appropinquabant, Poris quidem ad hortationem remigum nautarumque intentus erat; interdum manus ad caelum tendens deos, ut ferrent opem, orabat. ferox interim femina, ad multo ante praecogitatum reuoluta facinus, uenenum diluit ferrumque promit et posito in conspectu poculo strictisque gladiis 'mors' inquit 'una uindicta est. uiae ad mortem hae sunt: qua quemque animus fert, effugite superbiam regiam. agite, iuuenes mei, primum, qui maiores estis, capite ferrum aut haurite poculum, si segnior mors iuuat.' et hostes aderant et auctor mortis instabat. alii alio leto absumpti semianimes e naue praecipitantur. ipsa deinde uirum comitem mortis complexa in mare sese deiecit. naue uacua dominis regii potiti sunt.

5. GALFREDI MONUMETENSIS HISTORIA BRITONVM



Mure computatrali usus hanc imaginem explica.


ARTVRVS GIGANTEM CAEDIT

X, 3 - Interea nuntiatur Arturo quendam mirae magnitudinis gigantem ex partibus Hispaniarum advenisse et Helenam, neptem Hoeli, ducis Armoriorum, custodibus vi eripuisse et in cacumine montis qui nunc archangeli dicitur Michaelis illam detulisse, milites autem regionis illius insecutos nihil adversus gigantem profecisse. Audito hoc, rex, nocte sequente, assumpto Keio dapifero et familiari suo et Bedwero pincerna, cum armigeris tantum suis, clam tentoria egressus ad montem praefatum tendit et cum monti appropinquaret, in modum rogi ignem super montem ardere cernit aliumque super minorem montem, qui non longe ab altero distat. Dubitans autem super quem illorum montium habitaret gigas, Bedwerum praemisit, ut rem certius exploraret. At ille, inventa navicula, navigavit ad minorem montem, qui infra mare situs fuerat propiorque illis advenientibus erat. Cuius dum cacumen ascendisset, audito ululatu femineo, primum inhorruit, deinde propius accedens mulierem repperit lacrimantem iuxta tumbam cadaveris nuper humati. Erat autem mulier haec anus, puellae alitrix, quam asportaverat gigas ex finibus Armoriorum, ut suprafatum est. Quae ut aspexit Bedwerum ad se venientem, timuit ne a gigante perciperetur <et> exclamans ait: "O infelix homo, quod infortunium te huc duxit? Miseret me tui, nam nocte hac, si infandum monstrum te hic offenderit, membris omnibus discerptis, morte turpissima morieris. Iste est sceleratissimus ille, qui nuper neptim ducis Hoeli, - pro nefas, - puellam pulcherrimam meque cum illa simul advexit et cum illa concumbere temptans, pondere magnitudinis suae illam oppressit atque morti addixit et hic tumultatam reliquit. Fuge ergo, quisquis es et quantum potes fugiendo salva

te ipsum." At ille, festinum promittens auxilium, ad Arturum reversus est, narrans ea quae audierat et viderat.

Rex ergo casum puellae ingemiscens, tendit ad alium montem et, dimissis equis, cum armigeris pedes ascendit montem armatus ipseque praecedens socios inventum aggreditur monstrum, qui ad rogam igne accensum, illitus ora tabo sedebat, semesorum porcorum partes verubus infixas superpositis prunis torrebat. Qui ut aspexit, in regem mox festinavit ut clavam suam magni ponderis assumeret et in regem dirigeret. At ille, praetenso clipeo, evaginato gladio, ut illum prius feriat, quantum potest celeri cursu properat. Verum gigas, festinato ictu, clavam librat regemque interposito clipeo tanto conamine ferit, quod sonitu ictus et litora maris replevit et aures eius fere hebetavit. Arturus igitur, ira accensus, erecto ense in frontem illius, vulnus intulit non modicum, unde sanguinis rivi per totam faciem copiose fluentes, aciem oculorum illius turbaverunt. Percussus tamen acrior insurgit et velut aper in venatorem per venabulum, ita per gladium caecus factus, ruit in regem et complectens illum brachiis, vi et pondere suo humi fere geniculando stravit. At rex, sentiens monstri illius molem suis brachiis non esse tractandam, elabatur in parte altera et, sublato in sublime ense, totis viribus in cervicem gigantis pressit, ita ut vix ensis cum cerebro extraheretur. Mox ille, mugitum magnum cum dolore emittens, corrui et spiritum exhalavit.

6. ERASMI ECCLESIASTAE SIVE DE RATIONE CONCIONANDI LIBRI IV



Mure computatrali usus hanc imaginem explica (cfr. p. 125).

DE GVILHELMO WARAMO, ARCHIEPISCOPO CANTVARIENSI


Guilhelmus Waramus, archiepiscopus Cantuariensis, totius Angliae primas, non ille quidem titulo sed re theologus. Erat enim iuris utriusque doctor, legationibus aliquot feliciter obeundis inclaruit et Henrico regi eius nominis septimo, summae prudentiae principi, gratus carusque factus est. His gradibus evectus est ad Cantuariensis ecclesiae fastigium, cuius in ea insula prima est dignitas. Huic oneri per se gravissimo additum est aliud gravius. Coactus est suscipere cancellarii munus, quod quidem apud Anglos plane regium est; atque huic uni honoris gratia, quoties in publicum procedit, regia corona sceptro regio imposita gestatur. Nam hic est velut oculus, os ac dextra regis, supremusque totius regni Britannici iudex. Hanc provinciam annis compluribus tanta dexteritate gessit, ut diceres illum ei negotio natum, nulla alia teneri cura. Sed idem in his quae spectabant ad religionem et ecclesiasticas functiones tam erat vigilans et attentus ut diceres eum nulla externa cura distringi. Sufficiebat illi tempus ad religiose persolvendum sollemne precum pensum, ad sacrificandum fere cotidie, ad audiendum praeterea duo aut tria sacra, ad cognoscendas causas, ad excipiendas legationes, ad consulendum regi si quid in aula gravius exstisset, ad visendas ecclesias sicubi natum esset aliquid quod moderatorem postularet, ad excipiendos convivas saepe ducentos: denique lectioni suum dabatur otium.

Ad tam varias curas uni sufficiebat et animus et tempus, cuius nullam portionem dabat venatui, nullam aleae, nullam inanibus fabulis, nullam luxui aut voluptatibus. Pro his omnibus oblectamentis erat illi vel amoena quaequam lectio vel cum erudito viro colloquium. Quanquam interdum episcopos, duces et comites habebat convivas, semper tamen prandium intra spatium

horae finiebatur. In splendido apparatu quem illa dignitas postulabat, dictu incredibile quam ipse nihil deliciarum attigerit. Raro gustabat vinum, plerumque iam tum septuagenarius bibebat pertenuem cervisiam, quam illi biriam vocant, eamque ipsam perparce. Porro cum quam minimum ciborum sumeret, tamen comitate vultus ac sermonum festivitate omne convivium exhilarabat. Vidisses eandem pransi et impransi sobrietatem. A cenis in totum abstinebat, aut si contingerant familiares amici, quorum de numero nos eramus, accumbebat quidem, sed ita ut paene nihil attingeret ciborum. Si tales non dabantur, quod temporis cenae dandum erat, id vel precibus vel lectioni impendebat. Atque ut ipse leporibus scatebat mire gratis, sed citra morsum atque ineptiam, ita liberioribus iocis amicorum delectabatur. A scurrilitate et obtreccatione tam abhorrebat quam quisquam ab angui. Sic ille vir eximius sibi faciebat dies abunde longos, quorum brevitate multi causantur. Et tamen isti qui subinde queruntur ad seria negotia sibi deesse otium, bonam diei partem, interdum et noctis, perdunt in rebus non necessariis.

Verum ut eo redeam, cuius gratia interieci hunc sermonem, erat illi iuxta morem horum temporum necessum praeter familiam, quam alere cogeatur numerosissimam, aulae regiae, totius regni negotiis etiam profanis dare operam; nec ibi moribus hodie receptum est ut summi praesules contionentur: tamen quod in hoc officii genere diminutum erat, abunde pensabat gemina vigilantia, partim prospiciens ne quis inutilis ad Dominici gregis curam adhiberetur, partim multos sua liberalitate fovens in literarum studiis, quos sperabat ad bonam frugem evasuros. In hos erat tam exposita liberalitas, ut moriens nihil reliquerit praesentis pecuniae, sed aeris alienis nonnihil; tametsi non deerat unde id dissolvi posset. Haec nequaquam loquor ad gratiam. Amavi vivum nec minus amo mortuum; quod enim in illo amabam non periit. Si supputem quicquid ille dare mihi paratus erat, immensa fuit eius in me liberalitas; si ad calculum vocemus quod accepi, sane modicum est. Unicum modo sacerdotium in me contulit, immo non dedit sed obtrusit constanter recusanti, quod esset eius generis ut grex pastorem requireret, quem ego linguae ignarus praestare non poteram. Id cum vertisset in pensionem, sentiretque me et eam pecuniolam gravatim accipere, quod e populo cui nihil prodessem colligeretur, sic me consolatus est vir egregie pius: 'Quid' inquit 'magni faceres, si uni agresti popello praedicares? Nunc libris tuis omnes doces pastores fructu longe uberiore; et indignum videtur si ad te paulum redit stipis ecclesiasticae? Istam sollicitudinem in me recipio. Providebo ne quid illi desit ecclesiae.' Idque fecit; nam submoto cui resignarem sacerdotium (is erat illi a suffragiis, homo variis distractus negotiis) alium praefecit iuvenem rei theologiae peritum, probatis et integris moribus.

7. C. PLINII CAECILII SECUNDI EPISTOLARVM LIBRI X




Mure computatrali usus hanc imaginem explica (cfr. p. 36).

C. PLINIVS RVFINO SVO S.

[VIII, 18] Falsum est nimirum quod creditur vulgo, testamenta hominum speculum esse morum, cum Domitius Tullus longe melior apparuerit morte quam vita. 2 Nam cum se captandum prae buisset, reliquit filiam heredem, quae illi cum fratre communis, quia genitam fratre adoptaverat. Prosecutus est nepotes plurimis iucundissimisque legatis, prosecutus etiam proneptem. In summa omnia pietate plenissima ac tanto magis inexpectata sunt. 3 Ergo varii tota civitate sermones: alii fictum ingratum immemorem loquuntur, seque ipsos dum insectantur illum turpissimis confessionibus produnt, ut qui de patre avo proavo quasi de orbo querantur; alii contra hoc ipsum laudibus ferunt, quod sit frustratus improbas spes hominum, quos sic decipi pro moribus temporum est. Addunt etiam non fuisse ei liberum alio testamento mori: neque enim reliquisse opes filiae sed reddidisse, quibus auctus per filiam fuerat. 4 Nam Curtilius Mancius perosus generum suum Domitium Lucanum - frater is Tulli - sub ea condicione filiam eius neptem suam instituerat heredem, si esset manu patris emissa. Emiserat pater, adoptaverat patruus, atque ita circumscripto testamento consors frater in fratris potestatem emancipatam filiam adoptionis fraude revocaverat et quidem cum opibus amplissimis. 5 Fuit alioqui fratribus illis quasi fato datum ut divites fierent, invitissimis a quibus facti sunt. Quin etiam Domitius Afer, qui illos in nomen assumpsit, reliquit testamentum ante decem et octo annos nuncupatum, adeoque postea improbatum sibi, ut patris eorum bona proscribenda curaverit. 6 Mira illius asperitas, mira felicitas horum: illius asperitas, qui numero civium excidit, quem socium etiam in liberis habuit; felicitas horum, quibus successit in locum patris, qui patrem abstulerat. 7 Sed haec quoque hereditas Afri, ut reliqua cum fratre quaesita,

transmittenda erant filiae fratris, a quo Tullus ex asse heres institutus praelatusque filiae fuerat, ut conciliaretur. Quo laudabilius testamentum est, quod pietas fides pudor scripsit, in quo denique omnibus affinitatibus pro cuiusque officio gratia relata est, relata et uxori. 8 Accepit amoenissimas villas, accepit magnam pecuniam uxor optima et patientissima ac tanto melius de viro merita, quanto magis est reprehensa quod nupsit. Nam mulier natalibus clara, moribus proba, aetate declivis, diu vidua mater olim, parum decore secuta matrimonium videbatur divitis senis ita perdit morbo, ut esse taedio posset uxori, quam iuvenis sanusque duxisset. 9 Quippe omnibus membris extortus et fractus, tantas opes solis oculis obibat, ac ne in lectulo quidem nisi ab aliis movebatur; quin etiam - foedum miserandumque dictu - dentes lavandos fricandosque praebebat. Auditum frequenter ex ipso, cum quereretur de contumeliis debilitatis suae, digitos se servorum suorum cotidie lingere. 10 Vivebat tamen et vivere volebat, sustentante maxime uxore, quae culpam incohati matrimonii in gloriam perseverantia verterat. 11 Habes omnes fabulas urbis; nam sunt omnes fabulae Tullus. Expectatur auctio: fuit enim tam copiosus, ut amplissimos hortos eodem quo emerat die instruxerit plurimis et antiquissimis statuis; tantum illi pulcherrimorum operum in horreis quae neglegebat. Invicem tu, si quid istic epistula dignum, ne gravare. 12 Nam cum aures hominum novitate laetantur, tum ad rationem vitae exemplis erudimur. Vale.



Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

PASSIO SANCTI ALBANI

[I, 7] [...] Albanus, paganus adhuc, cum perfidorum principum mandata aduersum Christianos saeuirent, clericum quendam persecutores fugientem hospitio recepit; quem dum orationibus continuis ac uigiliis die noctuque studere conspiceret, subito diuina gratia respectus, exemplum fidei ac pietatis illius coepit aemulari, ac salutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idolatriae tenebris, Christianus integro ex corde factus est. Cumque praefatus clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, peruenit ad aures nefandi principis confessorem Christi, cui necdum fuerat locus martyrii deputatus, penes Albanum latere. Unde statim iussit milites eum diligentius inquirere. Qui cum ad tugurium martyris peruenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo, ipsius habitu, id est caracalla, qua uestiebatur, indutus, militibus exhibuit, atque ad iudicem uinctus perductus est.

Contigit autem iudicem ea hora, qua ad eum Albanus adducebatur, aris adsistere, ac daemonibus hostias offerre. Cumque uidisset Albanum, mox ira succensus nimia, quod se ille ultro pro hospite, quem susceperat, militibus offerre, ac discrimini dare praesumisset, ad simulacra daemonum, quibus adsistebat, eum iussit pertrahi: 'Quia rebellem,' inquit, 'ac sacrilegum celare quam militibus reddere maluisti, ut contemtor diuum meritam blasphemiae suae poenam lueret, quaecumque illi debebantur supplicia, tu soluere habes, si a cultu nostrae religionis discedere tentas.' At sanctus Albanus, qui se ultro persecutoribus fidei Christianum esse prodiderat, nequaquam minas principis metuit; sed accinctus armis militiae spiritualis,


palam se iussis illius parere nolle pronuntiabat. Tum iudex: 'Cuius,' inquit, 'familiae uel generis es?' Albanus respondit: 'Quid ad te pertinet, qua sim stirpe genitus? sed si ueritatem religionis audire desideras, Christianum iam me esse, Christianisque officiis uacare cognosce.' Ait iudex: 'Nomen tuum quaero, quod sine mora mihi insinua.' At ille: 'Albanus,' inquit, 'a parentibus uocor, et Deum uerum ac uiuum, qui uniuersa creauit, adoro semper, et colo.' Tum iudex repletus iracundia dixit: 'Si uis perennis uitae felicitate perfrui, diis magnis sacrificare ne differas.' Albanus respondit: 'Sacrificia haec, quae a uobis redduntur daemonibus, nec auxiliari subiectis possunt, nec supplicantium sibi desideria uel uota complere. Quin immo, quicumque his sacrificia simulacris obtulerit, aeternas inferni poenas pro mercede recipiet.'

His auditis, iudex nimio furore commotus, caedi sanctum Dei confessorem a tortoribus praecepit, autumans se uerberibus, quam uerbis non poterat, cordis eius emollire constantiam. Qui cum tormentis afficeretur acerrimis, patienter haec pro Domino, immo gaudenter ferebat. At ubi iudex illum tormentis superari, uel a cultu Christianae religionis reuocari non posse persensit, capite eum plecti iussit.

Cumque ad mortem duceretur, peruenit ad flumen, quod muro et harena, ubi feriendus erat, meatu rapidissimo diuidebatur; uiditque ibi non paruam hominum multitudinem utriusque sexus, condicionis diuersae et aetatis, quae sine dubio diuinitatis instinctu ad obsequium beatissimi confessoris ac martyris uocabatur, et ita fluminis ipsius occupabat pontem, ut intra uesperam transire uix posset. Denique cunctis pene egressis, iudex sine obsequio in ciuitate substiterat. Igitur sanctus Albanus, cui ardens inerat deuotio mentis ad martyrium ocus peruenire, accessit ad torrentem, et dirigens ad caelum oculos, illico siccato alueo, uidit undam suis cecidisse ac uiam dedisse uestigiis. Quod cum inter alios etiam ipse carnifex, qui eum percussurus erat, uidisset, festinauit ei, ubi ad locum destinatum morti uenerat, occurrere, diuino nimirum admonitus instinctu, proiectoque ense, quem strictum tenuerat, pedibus eius aduoluitur, multum desiderans, ut cum martyre, uel pro martyre, quem percutere iubebatur, ipse potius mereretur percuti.

Dum ergo is ex persecutore factus esset collega ueritatis et fidei, ac iacente ferro esset inter carnifices iusta cunctatio, montem cum turbis reuerentissimus Dei confessor ascendit; qui opportune laetus, gratia decentissima, quingentis fere passibus ab harena situs est, uariis herbarum floribus depictus, immo usque quaque uestitus; in quo nihil repente arduum, nihil praeceps, nihil abruptum, quem lateribus longe lateque deductum in modum aequoris natura conplanat, dignum uidelicet eum, pro insita sibi specie uenustatis, iam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur. In huius ergo uertice sanctus Albanus dari sibi a Deo aquam rogauit, statimque, incluso meatu, ante pedes eius fons perennis exortus est, ut omnes agnoscerent etiam torrentem martyri obsequium detulisse; neque enim fieri poterat, ut in arduo montis cacumine martyr aquam, quam in fluuio non reliquerat, peteret, si hoc opportunum esse non uideret. Qui uidelicet fluuius, ministerio persoluto, deuotione completa, officii testimonium relinquens, reuersus est ad naturam. Decollatus itaque martyr fortissimus ibidem accepit coronam uitae, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed ille, qui piis ceruicibus impias intulit manus, gaudere super mortuum non est permissus; namque oculi eius in terram una cum beati martyris capite deciderunt.

9. THOMAE VALLAVRII EPITOME HISTORIAE GRAECAE




Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

DE PERICLE

Pericles [...] ob praeclaras virtutes cognomento olympius est appellatus. [...] Hic, tum paterno tum materno genere, clarissimis maioribus erat prognatus. Praeceptorem habuit Anaxagoram, clazomenium philosophum, a quo intelligens iudicium hausit, ornatam et magnificam orationem, qua ab Aristophane poeta in concionibus fulgurare et tonare dictus est, postremo illam gravitatem et dignitatem, quam in omnibus rerum adiunctis praeseferre consueverat, quaeque Atheniensium admirationem illi conciliavit. Iam inde ab anno quadringentesimo, nono et sexagesimo ante Christum natum Pericles, quod Cimoni obtrectaret, princeps factionis popularis habebatur. Exinde nihil praetermisit, quo populi gratiam aucuperetur, et viam sibi muniret ad evertendos optimates; neque prius quievit, quam, mortuo Cimone et pulso Athenis Thucydide milesio, unus in civitate omnia posset. Quem quidem principatum diu tenuit eloquentia, nominis auctoritate et spectata praesertim abstinence, qua factum est ut, annos quadraginta in reipublicae administratione versatus, rem familiarem a patre relictam ne minimum quidem augetet. Neque solum civilibus, sed militaribus etiam artibus eluxit Pericles. Namque Samum post diuturnam obsidionem cepit; postea civibus persuasit, ut Corcyrae faverent, quae a Corinthiis defecerat, causam interponens, illius insulae classem, mari plurimum pollentem, mox Athenis usui futuram. Ubi vero Thebani Plataeis occupatis, Athenarum sociis, bellum peloponnesiacum inchoarunt, Pericles Athenienses hortari non destitit, ut omnia bello opportuna pararent, sese urbis moenibus clauderent, sociorum animos firmarent, classem

instruerent, in qua civitatis salus potissimum nitebatur. Haud ita multo post Lacedaemoniorum exercitus Atticae fines ingressus, ad Acharnas castra posuit. Hic vero Pericles ab effusa praedandi licentia hostem non cohibuit, ne forte Athenienses, re male gesta, de summa imperii periclitarentur; satisque habuit centum naves ad vastandam Peloponnesi oram mittere, intereadum ipse Megaridem horrendum in modum depopularetur. Cessante per hiemem bello, Athenienses civibus de more parentarunt, qui pugnantes pro patria cecidissent. Pericles vero laudationem habuit, qua Athenarum opes atque instituta magnificis verbis est prosecutus. Ineunte vere, Peloponnesii cum sociis in Atticam populabundi rursus invaserunt. Paulo post in agros urbemque gravissima pestilentia incidit, quae ex Aethiopiae regionibus orta, Aegyptum, Lybiam et Persarum regnum vastaverat. In tanta rerum difficultate constantiam, prudentiam et perseverantiam retinuit Pericles. Haud aliter atque anno superiore, obstitit, quominus pugnandi copia hostibus fieret, ne summam rerum temere in non necessariam aleam daret. Cum classe paratissima adversus Penoloponnesum est profectus. Sed quum mortifera lues classem corripuisset, dum Epidaurum obsideret, inde, irritum incepto, ei fuit abscedendum. Interea mala, quibus Athenae afflictabantur, fecerant, ut civium studia in Periclem defervescerent. Invidiose illum criminabantur, quod pacis dissolvendae auctor fuisset, omnesque belli calamitates in eum transferebant. Legatos etiam de pace Lacedaemonem miserunt. Sed quum res ad pactionem non venisset, in populi odium offensionemque magis et magis Pericles incurrit. Itaque imperio spoliatus et ingenti pecunia multatus est. Neque ingrato civium animo, neque propinquis et amicis pestilitate absumtis, ingemuit Pericles. Sed illius virtutem atque animi firmitatem prostravit filii mors, qui unus ei reliquus erat. Quum enim ad cadaver, coronam impositurus, accessisset, tanto dolore est affectus, ut multas cum singultu lacrimas effunderet. Luctuosum illud inconstantis fortunae spectaculum, quae talem virum ex beato miserum fecisset, atheniensem populum movit; qui reputans, quanto ceteris ducibus antistaret Pericles, civem tam bene de republica meritum, paullo postquam damnatione in illum saevierat, ad rerum gubernacula revocavit, copiisque iterum praefecit. Sed paucis interiecto tempore, grassanti morbo tentatus, delatum civitatis principatum pariter ac vitam amisit. Tunc enimvero patuit quantus vir Atheniensibus fuisset ereptus; et qui Periclis vivi potentiam aversarentur, mortuum laudibus ornare, atque insigne reipublicae praesidium appellare non dubitarunt.

10. L. ANNAEI FLORI EPITOME DE TITO LIVIO




Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

DE M. ATILIO REGVLO

I, XVIII [II, II]² - Marco Atilio Regulo duce iam in Africam navigabat bellum. Nec defuerant qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent, insuper augente Nautio tribuno metum, in quem, nisi paruisset, securi destricta imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox deinde ventis remisque properatum est, tantusque terror hostici adventus Poenis fuit, ut apertis paene portis Carthago caperetur. Praemium belli fuit civitas Clipea; prima enim a Punico litore quasi arx et specula procurrit. Et haec et trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est, cum quasi in vindictam Africae nata mirae magnitudinis serpens posita apud Bagradam castra vexaverit. Sed omnium victor Regulus cum terrorem nominis sui late circumtulisset cumque magnam vim iuventutis ducesque ipsos aut cecidisset aut haberet in vinculis, classemque ingenti praeda onustam et triumpho gravem in urbem praemisisset, iam ipsam, caput belli, Carthaginem urgebat obsidio ipsisque portis inhaerebant. Hic paululum circumacta fortuna est, tantum ut plura essent Romanae virtutis insignia cuius fere magnitudo calamitatibus adprobatur. Nam conversis ad externa auxilia hostibus, cum Xanthippum illis ducem Lacedaemon misisset, a viro militiae peritissimo vincimur-foeda clades Romanisque usu incognita-: vivus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem per tantae calamitati fuit; nam nec Punico carcere infractus est nec legione suscepta. Quippe diversa quam hostis mandaverat censuit, ne pax fieret nec commutatio captivorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostis suos reditu nec ultimo sive carceris seu crucis supplicio deformata maiestas, immo his omnibus admirabilior. Quid aliud quam victor de victoribus atque etiam, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit? Populus autem Romanus multo acrior intentiorque pro ultione Reguli quam pro victoria fuit. Metello igitur consule spirantibus altius Poenis et reverso in Siciliam bello, apud Panhormum sic hostes cecidit, ut nec amplius eam insulam cogitarent. Argumentum ingentis victoriae centum circiter elephantorum captivitas, sic quoque magna praeda, si gregem illum non bello, sed venatione cepisset.

² Cfr. Iuli Flori *Epitomae de Tito Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo*, ex sumptibus B.G. Teubneri, Lipsiae 1854.

11. GESTA ROMANORVM




Mure computatrali usus hanc imaginem explica.

DE VITA SANCTI ALEXII FILII EVPHEMIANI IMPERATORIS

[13] Quidam imperator erat, in cujus imperio scil. in civitate romana fuit quidam juvenis nomine Alexius, filius Eufemiani nobilissimi Romani et in aula imperatoris primus. [...] Erat autem predictus Eufemianus valde misericors et singulis diebus in domo sua tres mense pauperibus orphanis peregrinis et viduis parabantur, quibus strenue serviebat, et hora nona ipse cum viris religiosus cibum in timore domini capiebat. Cui uxor nomine Agaelis ejusdem religionis et propositi erat. [...] Traditur igitur puer liberalibus disciplinis imbuendus, et cum omnibus philosophie artibus ipse floreret, et jam ad puberem etatem veniens, puella sibi de domo imperiali eligitur et in conjugem copulatur. [...] Tunc sanctus juvenis sponsam suam cepit in dei timore instruere et ipsam ad virginitatis provocare pudorem. Deinde annulum suum aureum et caput baltei, quo cingebatur, sibi servandum tradidit dicens: Suscipe hec et serva donec deo placuerit, et dominus sit inter nos! Post hec de substantia sua accipiens ad mare discessit, ascendensque occulte navim Laodiciam usque advenit. Inde pergens in Edissam civitatem Syrie profectus est, ubi imago domini nostri Ihesu Christi sine humano opere facta in syndone habebatur. Quo perveniens omnia, que secum detulerat, pauperibus distribuit, et vestimenta vilia induens cum ceteris pauperibus in atrio dei genetricis Marie sedere cepit, et de elemosynis quantum sibi sufficere poterat sibi retinebat, cetera vero aliis pauperibus erogabat. At pater decessum filii ingemiscens per universas mundi partes pueros suos misit, qui eum inquirerent diligenter. Quorum dum aliqui ad civitatem Edissam pervenissent, ab eo cogniti minime eum cognoscentes eidem cum ceteris pauperibus elemosynas tribuerunt, quas ille accipiens deo gratias egit dicens: Gracias tibi ago, domine, quia a servis meis elemosynam recipere me fecisti. Reversi pueri nunciant, quod nusquam reperiri valeat. Mater igitur sua a die recessus sui saccum in pavimento cubilis stravit, ubi ejulans [13b] lamentabiles voces dabat dicens: Hic semper in

luctu manebo, donec filium meum recuperavero. Sponsa vero ad socrum suam[2] dixit: Donec audiam de sponso meo dulcissimo, ad instar turturis manebo tecum. Cum ergo Alexius in predicto atrio XVII annis in servicio dei permansisset, imago tandem beate virginis, que ibidem erat, custodi ecclesie dixit: Fac introire hominem dei, quia dignus est regno celorum, et spiritus dei requiescit super eum; nam oratio ejus sicut incensum in conspectu dei ascendit. Cum autem custos de quo diceret ignoraret, iterum dixit ei: Ille qui sedet foris in atrio ipse est. Tunc custos festinus exiit et ipsum in ecclesiam duxit. Quod factum cum cunctis innotesceret, et ab omnibus venerari cepisset, humanam gloriam fugiens inde recessit, ibique navim ascendens, cum in Tharsim Cicilie vellet pergere, dispensante deo navis a ventis pulsa in romanum portum devenit. Quod cernens Alexius ait inter se: In domo patris mei ignotus manebo, nec alteri onerosus ero. Patrem vero a palacio redeuntem multitudine obsequencium circumdatum obvium habuit ac post eum clamare cepit: Serve dei, me peregrinum in domo tua suscipi jubeas et de micis mense tue nutriri facias, ut tui quoque peregrini dominus dignetur misereri. Quod audiens pater ob amorem filii sui eum suscipi jussit et locum proprium in domo sua tribuit et cibum de mensa sua sibi constituit et ministrum proprium delegavit. Ipse autem in oracionibus perseverabat et corpus suum jejuniis macerabat. Famuli autem domus ipsum deridentes aquam utensilium domus super caput ejus frequenter fundebant, sed ipse ad omnia valde paciens erat. Alexius XVII annis in domo patris ignotus manebat. Videns ergo per spiritum, quod terminus vite sue appropinquaret, cartam cum atramento peciit et totum ordinem vite sue ibidem scripsit. Dominica igitur post missarum solemnia in sanctuario de celo [vox] intonuit dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc. Quod audientes omnes in facies suas ceciderunt. Et ecce vox secundo venit dicens: Querite hominem dei, ut oret pro Roma! Querentibus illis et minime invenientibus iterum dictum est: In domo Eufemiani querite! Requisitus ille nichil se scire dicebat. [14] Tunc imperatores Arcadius et Honorius una cum summo pontifice Innocencio ad domum predicti viri venerunt et ecce vox ministri Alexii ad dominum suum venit dicens: Vide, domine, ne ille peregrinus noster sit, qui magne vite et paciencie homo est. Currens igitur Eufemianus eum defunctum invenit et vultum ejus tamquam vultum angeli rutilantem vidit, voluitque cartam, quam in manu habebat, accipere, sed nequivit. Exeunte ergo eo cum hoc imperatoribus et pontifici retulisset, et illi ad eum intrassent, dixerunt: Quamvis peccatores sumus, gerimus tamen regni gubernacula et curam universalem regiminis pastoralis. Da ergo nobis cartam, ut sciamus que in ea scripta sunt. Et accedens pontifex cartam in manu sumpsit et statim dimisit, fecitque eam legi coram omni populo et multitudine et patre ejus. Eufemianus hoc audiens nimio timore conturbatus obstupuit et factus exanimis resolutisque viribus in terram cecidit. Cum vero ad se aliquantulum redisset, vestimenta sua scidit, cepitque canos capitis sui evellere, barbam trahere atque semetipsum discerpere [...] Mater vero hoc audiens, quasi leena rumpens rete, ita scissis vestimentis, coma dissoluta ad celum oculos levabat et [...] cum pervenisset ad corpus, incumbens super illud clamabat: Heu me, fili mi carissime, lumen oculorum meorum, quare sic nobis fecisti? Quare tam crudeliter nobiscum egisti? Videbas patrem tuum et me miseram lacrimantes et non ostendebas teipsum nobis. Servi tui injuriabantur tibi et sustinebas. [...] Populus autem audiens hec lacrimabiliter flebat. Tunc pontifex cum imperatoribus posuerunt corpus in honorato feretro et duxerunt in civitatem mediam, et nunciatum est populo, inventum esse hominem dei, quem civitas tota querebat et omnes obviam currebant sancto. Si quis autem infirmus illud corpus sacratissimum tangebatur, protinus curabatur, ceci visum recipiebant, demoniaci liberabantur et omnes infirmi a quacumque infirmitate detenti tacto corpore curabantur. [...] Obiit circa annum domini tricentesimum vicesimum septimum.

12. CORNELII NEPOTIS EXCELLENTIVM IMPERATORVM VITAE



Mure computatrali usus hanc imaginem explica (cfr. p. 130).

M. PORTII CATONIS VITA

[1] M. CATO, ortus municipio Tusculo adulescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perpenna censorius narrare solitus est, Romam demigravit in foroque esse coepit. 2 Primum stipendium meruit annorum decem septemque. Q. Fabio M. Claudio consulibus tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. 3 Quaestor obtigit P. Africano consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit: namque ab eo perpetua dissensit vita. 4 Aedilis plebi factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaestor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat; quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

[2] Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. 2 Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cuius in priori consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed iure res publica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu peracto privatus in urbe mansit. 3 At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. 4 Circiter annos octoginta, usque ad extremam aetatem ab adulescentia, rei publicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis

temptatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

[3] In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. 2 Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adulescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit. 3 Earum sunt libri VII. Primus continet res gestas regum populi Romani: secundus et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica; ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. 4 Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos; atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In eisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina. 5 Huius de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu T. Pomponii Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.